

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

gavi Johannem, quod negasset veritatem, interrogatus. Hæret quidem adhuc apud reliquos alumnos, sed ita, ut expulsio sibi omni hora metuenda sit. De Andrea non sis sollicitus. Locum non inveniet, apud eos, qui & antea ejus pravum ingenium experti sunt. Gratulor Palatinatui de refflorescentibus cum pietate Musis. Utinam & ego isti disputationi interesse deberem. Scis quantopere istis studiis & exercitiis delecter. Pabulum senectutis meæ sunt. Sed eum interesse nequeam, gratulor tibi & gaudeo tecum. Ego hic nondum recepi concionandi potestatem; Lego in schola. Quid futurum sit ignoro. Simihi viventi stabilis hic locus erit, mirum erit. DEUS te ab omni malo custodiat. Intensio dolorum pedis non patitur, ut plura scribam. Pervelim scire, an D. D. Joachimus Struppis vobiscum esset. Salutat tuam cum suis mea cum suis. Vale. Dat. 25. Junii, 1581.

R. D. studiosiss.

Jeremias Homb.



XXXIIX.

Gratiam & pacem per Dominum nostrum J. Ch:

Opto tibi, Reverende & Clar. D. D.

TAndem mihi senex noster Ulmensis tuas literas, quas 15. Maji ad me exarasti, reddidit, 7. videlicet Julii, cum illis, quas Turnerus ad me scripsit, quibus adjunctæ fuerunt ad Dominos Præsides, &c. quas statim Ammonio exhibui, qui etiam accepit & voluit Dominis offerre Testimonium, quod inelyta Academia vestra Turnero perhibet. Sturmii blasphemias non vidi, scripsit ad me deisdem hisce diebus D. D. Chytraeus. Miror illum senem canos suos ita conspurcare. Sed ex abundantia cordis os loquitur, & nequit arbor mala bonos fructus ferre, nunquam de spinis uvas colligemus. Turneri negotium sedulo urfi & urgebo, quousq; aliqua mea erit autoritas. Ammonium oravi sedulo. Videntur mihi nimis cunctari Domini. Sed uno ictu non ruit quercus, crebris instabo bipennibus. Rescripsissem jam Turnero, si vacasset, proxime oblata occasione scribam. Rogo, ut jam ei meam bonam voluntatem & studium significes, ne mali quippiam suspicari incipiat. Nescio sane, an hic diu habitare queam: Omnem movent lapidem Jesuitæ, ut me hinc prorsus exturbent, & quantum ex Ammonio intelligere potui, denuo illustrissimus princeps mihi gravissimè succenset, dicens, licet conciones ipse habere prohibear, tamen me reliquis suggerere tela contra papatum, in qua re mihi profecto fit injuria. Errores reprehendunt Dn. M. Freius & Stamblerus, me nihil suggerente. Et Freius nunc

nunc quidem abit versus Judenburgum, futurus ibi pastor & scholæ ac tractus illius Inspector, loco Mylii, qui miseris humanis defunctus est. Nisi abiisset, in eadem forsitan sorte mecum esset. Princeps etiam Rectori Peristerio infensus factus est, ex mera delatione. Nihil enim illo adversus papistas in hac schola unquam dixit. Cantor autem egit cum scholaribus comædiam, Susannam, in qua rythmi quidam, me inconsulto, recitati sunt germanici, in quibus nihil contra aulam aut papam animadverti: sed nescio sanè quid delatores animadverterint & perverterint. Princeps Rectori imputat. Hoc autem potissimum malè habet Jesuitas, quòd simulati moriones gesserunt tiaras triangulares ipsorum similes, quarum singulis angulis singula cymbala erant adjuncta. Quod & ipsum me ignorante & inconsulto factum est, & tamen omnis faba in me cuditur. Dixit princeps, non posse me quiescere, ejiciendum esse, ut pax sit, reliquos, edito in me exemplo, tractabiliores fore. Fiat sancta DEI voluntas. Ejectus si fuero, vestram Academiam visitabo, & cum isthic quoque, præter meam culpam, ut audio, invisus sim, Francofurtum aut in patriam inde descendam. Forsan mihi reliqua vita in otio privatim transigenda est. Ego jam omnia confusè scribo, quia festino, rogo, ut ignoscas. De subscriptione credo me impetrasse tandem, quod diu studiosissimè quaesivi. Scribit etiam D. David, licet, ut subsequenti sermones, qui ad me perlati sunt, testantur, invitus. Expecto jam subscriptiones ex valle Anasi. His acceptis, curabo, ut omnes aut ad vos aut Tubingam mittantur, aut forsitan ipse perferam. Rogo ut, quod facis, etiam deinceps me commendatum habeas. Uteris in salutationibus præceptoris titulo, quo ego me indignissimum agnosco. Abiit à me, ut tantæ fiam insolentiæ & arrogantia, ut cujus discipulus esse gaudeam, ejus præceptor salutari velim. Rogo igitur, ut in illo titulo mihi parcas. Mea tuam officiosè salutat, sicut & filiolum vestram. Si digni essemus unâ habitare, nihil ei foret gratius, sed quod DEO visum est, fiat. Audio Cunium ad vos migrare: is mihi omnem ad omnes aditum præcludere conatur, quòd propter insanam avaritiam suam reprehendi à me doler. Det ei DEUS meliorem mentem, & mihi patientiam, ut injurias ejus & multorum præterea æquo animo feram. Scio, me apud DEUM esse in gratia. hoc mihi gratum est, ita ut malevolentiam injustam quorundam hominum flocci pendam. Bene & feliciter vale, Reverende & charissime D. Doctor & compater ac frater in Christo. Datâ 17. Julii, anni 1581.

R. E.

reverenter colens

Jeremias Hombergerus

M m m m 2

XXXIX.